

cato: ibi infatigabiliter intercedit. **Hec** regis
na misericordie ad quā cōfugiētes tuti eē va
lemus. **Hāc** oēs inuocem? ut p illius meri
ta in hoc seculo impetrem? gratiā sui filiū z in
futuro pueniam? ad eternā requiē. Amen.

Sermo trigēsim? de angelis quoz solen
nitas in ecclesia celebrat. ppter miraculū qd
apparuit in mōte gargano.

Angelis suis deus

mandauit de te ut custodiant te in
oibus vīs tuis. **I**lluminati pphē

te verba sunt ista originaliter ps. xc. **D**ebito

res sumus fratres charissimi angelis beatis

qm volente deo innumera ut sic loquar: be

neficia nobis p̄stare nō cessant. **Q**uia tñ ipi

inuifibiles sunt et immateriales substantie:

pleriqz illos negligūt venerari. **O**b qd vt hu

mane imbecillitati cōsulere? singulari mō in

monte gargano. **A**nno dñi. ccc. xc. locus in

uentus est in q archangeli michaelis aliorū

qz angeloz iugis memoria vsqz ad p̄summa

tionē seculi pmaneret. **N**ā dū quidā p̄diues

noīe gargan? q ex euentu suo montivocabu

lum dedit infinita pecoz multitudinē abun

daret cōtigit vt semel taurū pderet. **Q**uē sol

licite querēs inuenit eundē in vertice mōtis

foribz cuiusdā assistere spelūce: quē cū sagitta

appetisset illa velut flamine venti retorta eū a

quo iactata est mox reuerfa pcussit. **T**urbati

ciues et stupefacti. **E**p̄m Siphontinū qd fa

cto opus esset p̄fuluerūt. **Q**ui triduanū indi

xit ieiuniū: orandūqz deū p̄cepit. **Q**uo pacto

archangelus michael apparuit p̄visionē ep̄o

dicēs. **E**go sum michael archangel? q in cō

spectu dei sp̄ assisto. **V**olui aut locū illū spe

lunce mihi dedicādū illo iudicio sagitte cun

ctis mortalibz declarare: qua visione letior

factus ep̄s alijs qd viderat enarrauit. **E**t sic

ab eo tpe ecclesia ibi p̄secrata fuit ob reueren

tia beati archangeli q vsqz in p̄ntem diem a

cunctis fidelibz deuotione p̄cipua frequētat

Quapropter et solenitas angelozū a patribz

fuit instituta: quā ex debito et obligatōe p̄ce

pti mense septembris oēs celebrare tenentur

Quia vero in tanta festiuitate mens n̄ra ad

ip̄os angelos colendos p̄candosz est inflā

manda. **I**ecirco de ip̄is in p̄nti sermone di

cemus: de qbus tria mysteria erūt decurrēda

Primū d̄ cognitionis.

Secundū p̄ductionis.

Tercū missionis.

Qualiter angelus ab hoīe cognosci p̄t et

quō sp̄s est incorporeus: q m̄ p̄t in assum

pto corpore apparere.

Capitulū. i.

Primū de angelis mysteriū decurrēdū
d̄ cognitionis. **I**n quo tria dubia p̄po

nimus illustranda.

Primū vtrū substantie separe q dicunt angeli

possint cognosci ab hoībz viatoribz.

Scōm vtrū angeli habeāt corpora sibi na

turaliter vnita.

Tercū vtrū assumūt aliqñ corpora.

Pro primi dubij illustratōe distinguere

possumus triplicē noticiā.

Prima d̄ p̄pria et intuitiua.

Scōda cōmunis z effectiua.

Tercia fidelis et reuelatiua.

Prima noticia d̄ p̄pria intuitiua q. s. cognos

scitur angelus in sui substantia sicuti est. **E**t

hac angelus cognosci nō p̄t a puris viatoribz

bus vt inq̄t tho. i. pte. q. lxxviii. ex eo q in

tellectus noster f̄m statū p̄ntis vite nihil in

telligit nisi cōuertendo se ad fantasmata. **E**t

sic substantias immateriales q sub sensu z ima

ginatōe nō cadūt primo et p se f̄m modū co

gnitionis nobis expertū intelligere nō possu

mus. **I**mmo et adā in statu innocentie vt etiā

dicat tho. i. pte. q. xciiij. **I**ntelligere nō po

tuit substantias separatas: eo q illi aīe cōpetebat

modus intelligēdi p p̄uersionē ad fantasma

ta sicut z nobis. **E**t licz plato voluerit q sub

stantie immateriales nō solū a nobis intelli

guntur s̄ sint etiā prima a nobis intellecta.

Posuit enī formas immateriales subsisten

tes q̄s ideas vocabat esse p̄pria obiecta nostri

intellect? et ita p̄mo z p se a nobis intellecta.

Sz qz aīe cognitio applicat rebz materialibz

f̄m q intellectui p̄misset fantasia et sensus.

Ideo q̄to magis intellect? fuerit deputatus

tāto magis p̄cipit immaterialiū intelligibile

veritatē. **N**ihilomin? p̄trariū videt sentire

in thimeo: vt dixit. **I**nuifibiliū diuinariū

potestatiū q demones nuncupant: p̄stare ra

tionē magis est opus q̄ ferre valeat hoīs in

geniū. **D**e cōmendatore vero asserit tho. q in

ij. metaph. dixit si substantie abstracte nō pos

sunt intelligi a nobis tūc natura ociose egis

ser: qz fecisset illud qd est in se naturaliter in

tellectū: nō intellectū ab aliq. **S**ed dictū hoc

deficit primo qz nō sequit q si substantie sepa

te nō intelligunt a nobis: nō intelligant ab

aliquo intellectu: intelligunt enī a seip̄is et a

se inuicē. **S**cōdo deficit snia cōmendatoris:

qz nō est finis substantiarū separarū vt intel

ligant a nobis. **S**cōda cognitio d̄ cōis ef

fectiua: qñ cognoscit cā p effectū: et est cogni

tio quedā generalis: hāc cognitionē habues

runt philosophi de angelis z p̄cipue **A**risto.

in. xi. metaphysice. qui voluit q intelligētie

monerent speras celorum et celestia corpora.
Tercia vero cognitio de fidelis et reuelati
ua: quoniam si aliquid cognoscitur fide quod sic est certitu
dinaliter reuelatum. Hoc modo relictis phorvva
nitatibus atque erroribus hominum curiosorum nos fir
missime asserimus quod angeli sunt nobilissimi
spiritus deo bono fruētes: nobis ut infra docebi
mus beniuoli et affectu: quibus medijs dei se
creta et mysteria gratie hominibus sunt reuelata.
Nali vero penis eternis iustissime deputati.
Si vero quis quereret unde hec veritas est exorta
Rūdem? quod ex latissimo campo scripture sa
cre veteri vix nouoq; testamēto ubi de ange
lis expressa sit mentio. **U**bi Genes. xvi. scribi
tur de Agar dū fugeret essetq; in solitudine:
quod affligebat eā Sara dñia sua. **E**ūq; inuenit
set eā angelus dñi iuxta fontē aque in solitu
dine: et dixit ad illam. Agar ancilla sarai vñ
venis et quo vadis? quod respondit. A facie dñe mee
ego fugio. **D**ixitq; ei angelus dñi. Reuere
re ad dñam tuā et humiliare sub manibus illius
Et Genes. xix. ca. **V**enerūt duo angeli sodo
mā vespere. **E**t. xxi. c. Angelus dñi de celo cla
mauit dicēs. Abraam abraā. et. xxvii. c. **V**i
dit iacob in somnis scalā stantē sup terrā et
cacumen illius tangens celū angelos q; dei
ascendētes et descendētes p illā. et. xxxij. ca.
Jacob itinere quo ceperat abire: fuerūtq; ei
obuiā angeli dñi. **E**t Exodi. xiiij. ca. Ange
lus dei pcedebat castra israel: et cum eo piter
columna nubis. et. xxij. c. **D**ixitā angelū me
um q; pcedat te et custodiat i via introducat
ad locū quē pparavi tibi. **E**t Rume. xxi. ca.
Cū vidisset asina stantem angelū cecidit sub
pedibus sedentis. **E**t. ij. Re. vlti. ca. **C**ū exten
disset manū angel? dñi sup hierusalē ut disp
deret eā miser? est dñs sup afflictionē et ait
angelo pcutienti. Sufficit nūc cōtine manū
tuā. erat aut angel? dñi iuxta arēā ornā iebu
sei. et. iij. re. i. c. Angel? dñi locut? ē ad heliā
et. xix. ca. Angelus dñi pcutit in castris assi
riorū. **E**t thobie. v. ca. **E**gressus thobias in
uenit iuuenē splendidissimū stantē precinctū
ad ambulandū et ignorās quod angel? dei esset
salutauit eū et dixit. **U**ñ te habem? bone iu
uenis. **E**t Judith. xiiij. ca. **V**iuir dñs qm cu
stodiuit me angelus eius. **E**t eccl. v. ca. **N**e
dicās corā angelo tuo nō est prudentia. **E**t
ps. viij. **D**inuisti eū paulomin? ab angelis
et. xxvi. **A**dorate eū oēs angeli eius. **E**t. ciiij.
Qui facis angelos tuos spiritus. et. cxiij.
Laudate eū oēs angeli ei. **E**t Baruth. viij.
ca. Angelus meus erit vobiscū. **E**t Daniel.
iiij. ca. Angelus aut dñi descendit cū azaria et
locijs eius i fornacē et excussit flammā ignis

de fornace. **E**t eodē ca. **B**ndicite angeli dñi
dñō laudate et superaltate eū in secula. **E**t
xiiij. c. dixit angel? dñi ad abacuc. **F**er pran
dium quod habes danieli in babylonē quod est in
lacu leonū. **E**t Malachie. iij. ca. **S**tatim ve
niet ad templū sanctū suum dñator quē vos
queritis et angel? testamēti quē vos vultis. **E**t
Auce. i. ca. **A**pparuit Zacharie angelus dñi
stans a dextris altaris incēsi. et eodē ca. **V**i
sus est angelus gabriel a deo in ciuitatē gali
lee cui nomē nazareth ad virginē desponsa
tam viro. et. ij. ca. Angelus dñi stetit iuxta il
los. eodē ca. **F**acta est cū angelo multitudo
militie celestis exercitus. **E**t. xxij. ca. **A**ppa
ruit ei angelus dñi de celo cōfortans eū. **E**t
Matthei. i. ca. Angel? dñi apparuit in som
nis ioseph. et. iij. ca. **A**ccesserūt angeli et mi
nistrebāt ei. et. xxij. ca. **E**runt sicut angeli dei
in celo et. xxvij. ca. **A**ngeli eorū sp vident faci
ciem patris mei quod in celis est. et. xxiiij. ca. **M**it
tet angelos suos cū tuba. et. xxv. ca. **C**ū vene
rūt fili? hoīs in maiestate sua et oēs angeli ei?
cū eo. et. xxvi. ca. **A**n putas quod nō possum ro
gare patrē meū et exhibebit mihi mō plusq;
duodecim legiones angelorū. **E**t Joh. v. ca.
Angelus aut dñi fm tps descendebat in pi
scinā. **E**t ad Hebre. i. ca. **C**ui aliqui angelo
rum dixit filius meus es tu. **E**t Act. xij. ca.
Angelus dñi astitit et lumē refulsit in habi
taculo carceris. eodē ca. **V**isit dñs angelū
suū et eripuit me de manu herodis. **E**t Apo
calipf. i. ca. **S**ignificauit deus quē oportet
fieri cito loquēs p angelū suū seruo suo io
hanni. et. ij. ca. **S**it mentio de angelo p gami
tiatire et simirne. **E**t. ij. ca. de angelo sardis:
philadelphie et laodicie. et. vij. ca. de angelo
ascendente ab ortu solis. et. x. ca. de angelis
amictu nube. **E**t. xij. capitū. de angelis pre
liantibus. et. xiiij. ca. de angelo habente eu
angelū eternū. et. xvi. ca. de septē angelis bñ
tibus septē phialas ire dei. et. xvij. ca. de ange
lo descendēte de celo hñte potestātē magnā.
et. xx. ca. de angelo descendēte de celo habēte
clauē abyssi et cathenā magnā. et. xxij. c. de an
gelo quod nō permittit se adorari a iohanne. **E**t quod
bus oibus cogimur cōfiteri esse angelos licet
illos p statu isto in sua substantia videre non
valeamus. **D**e demonibus aut videre potes quod
posui in tractatu de timore iudiciorum dei.
Secūm principale dubiū ppositū fuit ut
angeli habeāt corpora sibi naturaliter vnita.
Et quidam cōtendunt pbare quod sic. **P**rimo
quā **O**rigenes in li. periarchon dicit. **S**o
lius dei. i. patris et filij et spiritus sancti vere
id ppiū est ut sine materiali substantia et

absq; vlla corporee additionis societate in-
telligatur existeret. Et Bernardus omel. vi.
sup cantica ait. Liqueat oem spiritum corpo-
reo prorsus indigere solatio. Et Aug⁹ in. ij.
sup Genesim ad lram. Et in. iij. de trini. Et
in. vij. de ciui. dei. Et in li. de ecclesi. dogma.
videt asserere. q; angeli habeant corpora aerea
et subtilissima. Secundo Grego. in omel. vo-
cat angelu aial ronale. oē aut aial habet cor-
pus sibi naturaliter vnitu. Tercio arguit. q;
pfectior est vita in angelis q; in aialibus. Sz
aia nō solū viuit sed etiā viuificat corpus: er-
go angeli habēt corpora sibi naturaliter vni-
ta. Sed cōtra istos ita debiliter arguentes
est doctrina omniū theologorū. i. ij. sniaz. di.
vij. qui sequentes Dionisiū et Damascenū
asserunt angelos nō habere corpora sibi na-
turaliter vnita. Et ratio fm Tho. i. pre. q. v.
Quia qd accidit alicui nature nō inuenitur
naturaliter in oibus in natura sicut habere
alas q; nō est de rōne aialis nō puenit omni
animali. Cū aut intelligere nō sit actus cor-
poris nec alicuius corporee virtutis habere
corpus vnitu nō est de rōne substantie intel-
lectualis inquantū huius. Sz accidit alicui
intellectuali substantie ppter aliquid aliud si-
cut aie rōnali cōpetit vniri corpori q; est im-
perfecta et in potētia existens in genere intel-
lectualiū substantiarū nō habens in sua na-
tura plenitudinē scientie sed acquirēs eā per
sensus corporeos a sensibilibus rebz. In quo-
cūq; aut genere inuenit aliqd imperfectū opor-
tet pēstere aliquod perfectū in genere illo.
Sunt ergo aliquę substantie intellectuales
pfecte in natura intellectuali nō indigētes ac-
quirere scientiā a rebus sensibilibus. Quare
nō omnes substantie intellectuales sunt vnite
corporibus sed aliquę sunt a corporibz sepa-
rate. Ad primū ergo obiectū de snia Origenis
dicit Tho. q; audiendus nō est q; vt scri-
bit Hiero. in epla ad desideriu. Origenes
melior in bonis peior in malis fuit. Qui⁹ he-
refes in libris periarchon quos ipe cōposuit
maxime inueniri dicunt. Magister in histo-
ria scolastica sup Genesim circa principiū.
Periarchon inqt est liber in quo Origenes
dixit tpm adhuc in aere p demonibz pati de-
bere: sicut in terra passus est p hoibz. Aug⁹.
vero in ptractis locis nō loquit asserēdo sed
referens opinionē platonicoz q; ponebāt eē
quedā aialia aerea q; demones noiabant. Di-
ctum adhuc Bernardi intelligendū est sane
q; spūs creati indigēt corporeo instrumento
nō sibi naturaliter vnito sed ad aliquid as-
sumpto ppter instructionē nostrā. Ad scdm

de verbo Grego. respondet q; ipe vocat an-
gelum ronale aial methaphorice ppter simili-
tudinē rōnis. Ad terciū inqt sanctus doctor
q; viuificare effectiue simpliciter pfectionis
est. vnde et deo cōuenit. Sed viuificare for-
maliter est substantie que ē pars alicui⁹ natu-
re et nō habentis in se integrā naturā speciei
Cū substantia intellectualis que nō est vnita
corpori est pfectior q; ea que est corpori vni-
ta. Hinc Damascen⁹ ait. Angelus est substā-
tia intellectualis incorporea. Et Dionisius.
Angeli sunt spiritualia lumina immateria-
les incorporei. Terciu dubiū pncipale fuit
vtrū angeli assumant aliquā corpa. Et qd sic
ptz. q; aug⁹. li. xvi. de ciui. dei dicit. q; angeli
in assumptis corporibz Abraę apparuerunt.
Tho. vero ait q; nōnulli tenuerunt angelos
nūq; corpora assumpsisse. Sed oia q; in scri-
pturis diuinis legunt de apparitionibz an-
geloz contigisse fm imaginationē. Tū hoc
nō videt consonū intentioni sacre scripture.
Qm id qd imaginariuisione videt est in so-
la imaginatōe vidētis. vñ nō videt indiffere-
ter ab oibz. Scriptura aut diuina sic intro-
ducit interdū angelos apparētes vt cōiter ab
oibz viderent. Sic angeli apparētes abraę vi-
si sunt ab eo et a tota familia ei⁹: a Loth et a ci-
nibus sodomoz visi sunt angeli q; venerunt
sodomā vespē. Sicut angelus q; apparuit tho-
bie ab oibus videbat. Et quo manifesta ē ista
sic cōtigisse fm corporeā visionē q; videt id
qd positū ē extra videntē. vñ ab oibz videri
pt. Tali aut visionē nō videt nisi corpus. Cū
ergo angeli neq; sint corpa neq; habeant cor-
pora sibi naturaliter vnita: relinquūt q; assu-
mant aliquā corpa. Et licet illis nō indigeant
ppter seipos assumūt tñ illa ppter nos vt fami-
liariter cū hoibus cōuersando demonstrant
intelligibile societate quā hoies expectāt cū
eis habendā in futura vita. Insup q; ange-
li corpora assumpsērūt in veteri testamento
fuit quoddā figurale iudiciū q; verbū dei as-
sumpturū esset corp⁹ humanū. Qd enī appa-
ritiones veteris testamēti ad illā apparitionē
ordinate fuerūt qua fili⁹ dei apparuit in car-
ne. Notandū tñ q; corpus assumptū vnitur
angelo nō quidē vt forme: nec solū vt motori
sed sicut motori representato p corp⁹ mobile
assumptū. Sicut enī in sacra scriptura pprie-
tates rez intelligibiliū sub similitudinibus
rerū sensibiliū describunt. Ita corpora for-
mantur sic ab angelis diuina virtute vt con-
gruant ad representandū angeli intelligibi-
les pprietates. Et hoc est angelum assumere
corp⁹. Et si qd obstarēt q; angeli nō assumūt

corpus de terra vel aqua qz nō subito dispa-
reret: neqz de igne qz cōburerent ea q̄ cōtinge-
rent: nec ex aere qz aer infigurabilis est ergo
angeli corpa nō assumūt. Rūdet Tho. qz licet
aer in sua raritate manēs nō retineat figurā
neqz colorē: tñ qñ cōdensat et figurari z colo-
rari p̄sicut p̄z in nubibz. Et sic angeli assu-
munt corpora ex aere cōdensando ipm virtu-
te diuina q̄tum necesse est ad corpus assumē-
di formationē. Sed adhuc orit̄ hic difficul-
tas ppter ea q̄ docent sacri doctores. Nā cor-
pus assumptū ab angelo videt̄ quasi vinū et
opa vite habēs z tñ nō est vinū nec hīs opa
vite apparet organizatū hīs oculos z nares
et alia sensuū instrumenta: et tñ p̄ organa illa
angelus minime sentit. In corpe sic assump-
to angel⁹ videt̄ loqui: et tñ nō est p̄pria locu-
tio illa: silt̄ comedit z illa nō est vera comestio
Sigit̄ in talibus apparitionibz nō est nisi que-
dam fictio siue deceptio. Ad hoc rūdet tho.
vbi. s. qz sicut nō est s̄ veritatē qz in scriptu-
ris intelligibilia sub figuris sensibilibz de-
scribant̄: qz hoc nō videt̄ ad astruendū: qz in-
telligibilia sunt sensibilia. Sed qz p̄ figuras
sensibilīū p̄prietates intelligibilīū fm simili-
tudinē quandā dantur intelligi: ita nō repu-
gnat veritatē sanctorū angelorū qz corpora ab
eis assumpta videant̄ hoīes viuētes: cum nō
sint. Nō enim assument̄ nisi vt per p̄prietate-
res hoīs et operū hoīs spūales p̄prietates an-
gelorū et eorū spūalia opa designent̄: qd̄ non
ita cōgrue fieret si veros hoīes assumeret̄ qz
p̄prietates eorū duceret̄ i ipos hoīes: nō in an-
gelos. Silt̄ est dicendū qz angeli p̄ organa
assumptorū corporū nullo mō sentiūt: nec tñ
supflue sunt formata. Nō enī ad hoc sunt for-
mata vt p̄ ea sentiant̄: sed ad hoc vt per h̄mōi
organā virtutes spirituales angelorū denotē-
tur. Sicut per oculū denotat̄ virtus cogno-
scitiua angeli. et p̄ alia mēbra alie eius virtu-
tes. vt docet Dionisiū vlti. ca. celestis icar-
chie. De locutione vero angeli quā facit i cor-
pore assumpto verū est qz nō est p̄prie locutio
sed aliqd̄ simile locutioni: inquantū angelus
in corpe sic assumpto format voces in aere si-
miles vocibz humanis: q̄ voces formant̄ vt
per illas dei secreta ad n̄as aures pueniant.
Comestio adhuc angeli nō est vera sed figu-
ratina spiritualis comestionis: nā comestio
importat̄ sumptionē cibi cōuertibilis in sub-
stantiā comedētis. Et q̄uis in corp⁹ xp̄i post
resurrectionē cibis nō cōuerteret̄ sed resolu-
retur in p̄iacentē materiā: tñ xps habebat cor-
pus talis nature in qd̄ posset cibo cōverti. vñ
fuit vera comestio. Sed cibus assumpt⁹ ab

angelo neqz p̄uertit̄ in corpus assumptū: ne-
qz corpus illud est talis nature vt i illud pos-
sit alimentū p̄verti: p̄pterea dixit angel⁹ Tho-
bie. xij. ca. Cū essem vobiscū p̄ voluntatē dei
videbar quidē manducare z bibere. S; ego
cibo z potu inuisibili vtor. Siunt igit̄ oīa in
assumptis corpibz ab angelis nō ad decep-
tionē sed potius ad vtilitatē nostram vt ex
predictis patet.

Qz deus p̄duxit angelos ex tempore in ce-
lo empirico. Capitulū. ij.

Secundū mysteriū de angelis aperiens
dum dicis p̄ductionis. In q̄ cōsiderare
debem⁹ p̄ductionē eorū q̄tū ad tria.

Primo quantū ad causam.

Secundo quantū ad tps.

Tercio quantū ad locū.

Primo cōsideranda est angelorū p̄ductio
q̄tum ad causam. Ubi querit̄ an angel⁹ ha-
beat causam sui esse et sit creat⁹ a deo. Et ad
hoc rūdet sanctus tho. i. pte. q. xliiij. et. q. lci.
Qz necesse ē dicere et angelos et oē id qd̄ pre-
ter deū est a deo esse factū. Si enī aliqd̄ inue-
nitur in aliq̄ per participationē necesse est qz
canset̄ in ipso ab eo cui essentialiter cōuenit̄:
sicut ferrū sit ignitū ab igne: deus aut̄ est ipm
esse per se subsistens et esse per se subsistens n̄
pote st esse nisi vnum. Relinquitur ergo qz
omnia alia a deo non sunt esse sed participāt
esse: quare causantur ab vno ente quod per-
fectissimū est. Ex his dixit Aristote. in. ij.
metaphy. It̄ qd̄ est maxime ens et maxime
verū: est causa oīs entis et oīs veri: sicut id qd̄
est maxime calidū est causa oīs calidi. Alga-
zeles vero in eodē loco inq̄t. Ip̄m ē deo ma-
xime cōuenit̄: qm̄ ip̄e est origo z principiū ef-
fendi et qd̄ est a q̄ est: quicqd̄ ē. Qd̄ cōfirmas
Auicenna ait. Omne esse est exuberās ab ei⁹
esse. Quare z plato in thimeo subdidit: qz no-
strum ē in p̄paratione illi⁹ est non esse. Hinc
Paulus Ad Ro. xi. ca. scripsit. Ex ip̄o: et p̄
ip̄m: et in ip̄o sunt oīa. Necesse est ergo ange-
los a deo esse creatos. Sed mirant̄ quidā ex
eo qz de his q̄ sunt a deo creata agit̄ Benciū
p̄mo ca. sed nulla mentio fit ibi de angelis:
ergo nō videt̄ qz sint creati a deo. Iterū Ari-
sto. dicit. viij. metaphy. qz si aliqua substantia
sit forma sine materia statim p̄ seip̄az est ens
et vñ et non habet causam q̄ faciat eā ens et
vñ. Sed angeli sunt forme immateriales:
ergo nō habent causā sui esse. Ad hec rūdet
Tho. p̄mo fm Aug⁹. li. xi. de ci. dei. qz ange-
li nō sunt p̄termissi in illa prima rerū creatio-
ne: sed significant̄ noīe celi vel lucis. Ideo
aut̄ vel p̄termissi sunt vel noībus rerū corpo-

raliū significati: qz moises p̄lo rudi loque-
batur qui nondū capere poterat incorporeā
naturā. De substantiis vero q̄ sunt forme sub-
sistentes: dicendū q̄ nō habēt causam aliam
formalē sui esse et sue vnitatis. neqz causam
agentē p̄ transmutationē materie de potētia
in actū: sed bene habēt causam pducēte totā
substantiā q̄ est ip̄e deus. **S**ecūdo cōside-
randa est angeloz pductio q̄tum ad tēpus
q̄m. s. fuerūt angeli creati. Et circa h̄ tres re-
periuntur opinionēs. Prima opinio falsa est et
heretica q̄ hoc tenet. q̄ angeli fuerūt pducti
ab eterno: hoc enī esse nō pōt: q̄m sic de⁹ crea-
turas pducit q̄ eas ex nihilo fecit. i. postq̄
nihil fuerāt. Et ut inquit **Tho.** i. pte. q. xlv.
Cum dicat aliqd ex nihilo fieri: hec p̄posi-
tio ex: nō designat causam materialē sed or-
dinez t̄m. sicut cū dicat ex mane fit meridies
id post mane. Et si obijceret q̄ p̄bi dicat. ex
nihilō nihil fit. R̄ndet **Tho.** q̄ philosophi
nō p̄siderauerūt nisi emanationē effectuum
particulariū a causis p̄ticularibus quas ne-
cesse ē p̄ponere aliqd in sua actiōe. Et f̄m
hoc est cōmunis eorū opinio ex nihilo nihil
fieri. Sed hoc locū nō habet in prima ema-
natione ab vniuersali rerū principio. Secū-
da opinio fuit quorundā doctoz antiquoz
s. q̄ angeli fuerūt creati ante oēm mundū cor-
poreū. **M̄** Hiero. hoc videt asserere sup̄ epi-
stola ad **Tim.** ait enim sic. Sex milia nondū
nostri temporis cōplentur annoz: et quāta
tempora: quātasqz seculoz origines fuisse ar-
bitrandū est in q̄bus angeli: throni: et dñatio-
nes: ceteriqz ordines deo seruiuerūt. **D**amasce-
nus etiam dicit in. ij. li. Quidā dicūt q̄ ante
oēm creationē angeli geniti sunt. ut **Theo-**
logus dicit. **G**reg. s. nazanzenus. de quo as-
serit **Tho.** q̄ tanta est in doctrina ei⁹ xp̄iana
auctoritas: ut nullus vnqz eius dictis calu-
mniā inferre p̄sumpserit sicut nec **Arbana-**
sij documētis ut **Hiero.** dicit. Tercia opinio
aliqz q̄ causam p̄cedentē nō reprobat: sed qz
rōnabili⁹ fore videt. **I**ecirco tenet cōmuni-
ter a doctozibz: q̄ angeli simul cum creatura
corporea sunt creati. Angeli enī sunt quedā
ps vniuersi qz nō p̄stituūt p se vnū vniuer-
sum: s; tā ip̄i q̄ creatura corpea in p̄stitutio-
nē vnū vniuersi p̄ueniūt: qd̄ apparet ex ordi-
ne vnū creature ad aliā. **O**rdo enī rerū ad in-
uicē est bonū vniuersi. Nulla aut̄ ps p̄fecta ē
a toto sepata. **N**ō ergo est p̄babile ut de⁹ cu-
ius p̄fecta sūt opa creaturā angelicā seorsuz
ante alias creaturas pduxerit. Et hoc refert
dñs **Bonaui.** di. xij. secūdi libri. q̄ quattu-
or a principio fuerāt simul creati. s. angelica

natura: celū empirreū: materia prima et tps
late illud accipiendo p̄ qualibet successione.
Ratio est quia debuerūt prima in omni ge-
nere rerū creari tā in mensuris q̄ in substan-
tijs. **P**rimū in mēsuris est tps. primū in sub-
stantijs corporalibz passiuus est materia: pri-
mum in substantijs corporalibz actiuus est ce-
lū empirreū. **P**rimū vero in substantijs sp̄i-
tualibus est angelica natura. **I**ecirco quat-
tuor hec credunt fuisse primo creati. **T**er-
cio cōsideremus angeloz pductionē q̄tum
ad locum: vbi. s. fuerunt angeli creati. Et ad
hoc dicit **strabus** sup̄ illo verbo. **I**n princi-
pio creauit deus celū et t̄. Celū nō visibile fir-
mamentū hic appellat: sed empirreū. i. igneū
qd̄ nō ab ardore sed a splendore d̄r: qd̄ statim
factū angelis est repletum. **I**deo **tho.** vbi. s.
ait. q̄ cū vniuersum cōstet ex creaturis corpo-
ribz et sp̄ialibz: sic create sunt sp̄iales crea-
ture q̄ ad creaturā corporale aliqū ordinez
habēt et toti creature corpali p̄sident: vnū p̄ue-
niens fuit ut angeli in sup̄mo corpe crearent
tāqz toti nature corpee p̄sidentes. Et si obij-
ceret q̄ angeli nō dependent a corpe f̄m suū
esse. et p̄sequēs neqz f̄m suū fieri: ergo angeli
nō sunt creati in loco corporeo. R̄ndet **tho.**
q̄ angeli nō sunt creati in loco corporeo: sed
ut predictū est in hoc ostendit̄ ordo eorū ad
naturā corporeā: et q̄ sua virtute corpora cō-
tingunt. **S**i hec oīa que diximus de angelo-
rum pductiōe vel ad capiendū difficultia: vel
ad plene intelligendū dura cuiqz viderent:
tanto magis excitare nos debent ad extollen-
dam totis viribz sapientiā altissimā dei: cui⁹
opera tam stupenda sunt et inscrutabilia. ut
nullo humano sensu p̄cipi valeāt. **P**ro quibz
dicere possumus illud ps. Quā magni-
ficata sunt opera tua dñe: omnia in sapientiā
fecisti. **U**niuersus nāqz mundus iste sensibi-
lis quasi quidā liber est scriptus digito dei:
et singule creature quasi figure quedā sunt
nō humano placito sed diuinitatis arbitrio
institute ad manifestandā quodammodo et si-
gnandā inuisibile potentia: sapientiā: et bo-
nitatem diuinā. **I**nter cetera vero suozū in-
stitutozū mirabilia angelos cōdidit: quo-
rum aliquos p̄pter superbiam in quā eruperūt
eternis abiudicauit supplicijs. **A**lios vero q̄
ip̄i factori suo humiliter adbescerūt: plena be-
atitudine fecit esse felices.

Qualiter angeli ad nos mittunt̄ q̄ hoīes
custodiūt neqz dolent de malis eoz quos cu-
stodiunt.

Capitulū. iij.

Tercū mysteriū de angelis manifestan-
dum dicit̄ missionis. **I**n quo tria sunt
o iij

dubia declaranda.

Primū vtrū angelī mittant.

Scōm vtrū hoīes ab angelis custodiant.

Tercū vtrū angeli doceant de malis eorum quos custodiunt.

Ad primū dubiū se offert veritas scripturā rari in quibus angelos mitti perhibet. Et ut inquit **tho. i. pte. q. cxiij.** Ille mitti dicit qui aliquo modo ab alio pcedit ut incipiat eē ubi prius nō erat p aliū modū. **Alī** enī aut spirīt⁹ sanctus mitti dicit ut a patre pcedens poriginē. Et incipit esse nouo mō. i. p gratiā vel p naturā assumptā ubi prius erat per diuinitatis pntiam. **Dei** enī ppiū est ubiqz esse: qz cū sit vniuersale agens virtus eius attingit oīa entia. ideo est in oīb⁹ rebus. **Virtus** aut angeli cū sit pculare agens nō attingit totū vniuersum: sed sic attingit vñ q nō attingit aliud. **Ideo** ita est hic qd nō est alibi. **Cū** igitur aliqd est sciendū p aliquē angelū circa aliquā creaturā corporeā: de nouo applicat angelus illi corpi sua virtute: et sic angel⁹ de nouo ibi incipit esse: et hoc totū sequit⁹ ex imperio diuino. **Sed** actio quā angel⁹ missus exerceat: pcedit a deo sicut a pmo pncipio: cuius nutu et auctoritate angeli opant⁹ et in deū reduci⁹ sicut in vltimū finē. **Et** hoc facit rōne ministrī. **Nā** ministrī est sicut instrumentū et intelligēs. **Instrumentū** aut ab alio mouetur: et ei⁹ actio ad aliud ordinat⁹. **Iō** actio: nes angeloz ministeria vocant⁹ et ipi dicunt⁹ in ministeriū mitti. **Si** vero aliqz quereretur quō angeli mittunt⁹ cū celū empirreū sit loc⁹ ptinens ad dignitatē eoz: si igit⁹ mitterentur ad nos dignitatē eoz aliqd deperiret. **Rūdet** **tho. q.** celū illud ptinet ad dignitatē angeli fm cōgruentiā quandā: qz pgruū est ut supremū corporū nature q est supra oīa corpa attribuat⁹. **Nō** tñ angel⁹ aliqd dignitatis accipit a celo empirreo. **Ideo** qñ actu nō est in illo nihil ei⁹ dignitati subtrahit⁹. **Sicut** nec regit qñ nō actu sedet in regali solio qd pgruit eius dignitati. **Hinc** saluator noster loquēs de angelis q mittunt⁹ ad custodiā hoīm dixit **Angeli** eoz semp vidēt faciē patris mei q est in celis. **Ubicūqz** itaqz sint vidēt essentiā dei in cui⁹ aspectu cōplet⁹ gloria et beatitudo illoz. **S**cōm dubiū fuit vtrū hoīes ab angelis custodiant. **Et** licet de hoc dixerim in quadragesimali nro: verumtñ aliqz erunt hoc loco nouiter discutiēda. **Iccirco** psupposito fm veritatē q vnaqueqz aīa angelū habeat sui custodē deputatū: xpo dūtaxat excepto de q in sermone de innocētib⁹ dictū est. **Primo** sciendū q necessaria fuit hoī custodia an

geloz ppter adiutoriū liberi arbitrii. **Nā** ut inquit **tho. i. pte. q. cxiij.** Homo p liberū arbitrium p aliquāliter vitare malū: sed nō sufficienter. qz infirmat⁹ circa affectum boni ppter multiplices aīe passionēs. **Similiter** etiam vniuersalis pgnitio naturalis legis q homini naturaliter adest aliquāliter dirigit hoīes ad bonū: sed nō sufficienter. qz in applicando vniuersalia pncipia iuris ad picularia opa cōtingit hoīes multipliciter deficere. **Unde** dicitur **Sapie. ix. ca.** Cogitatōes mortaliū tumide et incerte puidētie nre. **S**cōdo sciendū q dū hoīes pereunt et multa peccata labunt⁹ nō est ascribendū ad negligentia aliquā angeloz sed potius malitiē hoīm imputandū. **Nā** sicut hoīes a naturali instinctu boni discedūt ppter passionē peccati: ita etiā discedunt ab instigatōe bonoz angeloz q fit inuisibiliter ppter hoc q hoīes illumināt ad bene agendū. **Tercio** sciendū q sicut psciā ad damnationē et infideles ac etiā antipus nō priuant⁹ interiori auxilio naturalis rōnis: ita etiā nō priuant⁹ ex interiori auxilio toti nature humano diuini⁹ cōcesso. i. custodia angeloz p quā et si nō iuuēt⁹ qstū ad hoc q vitā eternāz bonis opibus mereant⁹: iuuant⁹ tñ qstū ad hoc q aliquib⁹ malis retrahunt⁹ quib⁹ et sibi ipis et alijs nocere possent. **Nā** et ipi demones arcēnt⁹ p bonos angelos nenoceant quantū volūt. **Quarto** sciendū q officium custodiē angelice ordinat⁹ quidē ad illuminationē doctrine sicut ad vltimū et pncipale effectū. **Nib** ilomin⁹ sunt et aliq effect⁹ s. arcere demones et alia nocumēta tā corpalia q spūalia phibere. **Quinto** sciendū q circa hoīm custodiā inter angelos qñqz solet eē pugna siue discordia. **Nā** ut scribit **Daniel. ca. x.** Dnm ipse orasset p liberatōne populi iudei q erat in babilonia: apparuit sibi angelus modo mirabili: ut pater in textu. dixitqz illi inter cetera: noli metuerē daniel: qz ex die primo q posuisti cor tuū ad intelligendū ut te affligeres i cōspectu dei tui: exaudita sunt verba tua. **Et** ego veni ppter sermones tuos: princeps aut regni persar⁹ restitit mibi viginti et vno diebus. **Refert** hic **hieronym⁹** pncipem regni persarū esse angelū qui se opposuit liberationi populi israelitici p quo **Daniel** orabat **Sab:** iele pces eius deo pstante. **Quidā** tñ dixerūt q bec resistentia ponit fieri eo q princeps aliquis demonū iudeos in persidem ductos ad peccatū induxerat: ppter quod prestabat impedimentū orationi **Danielis** p eodē populo deprecantis. **Sed** **Gregori⁹** in. xviij. moralium li. concordat cum

Hieronymo. dicit q̄ princeps regni persarū
bonus angelus fuit custodie illius regni de
putatus. Ad intelligendū ergo qualiter vn⁹
angelus alteri resistere dicitur. Notandum
fm̄ tho. vbi. s. q̄ diuina iudicia circa diuer-
sa regna et diuersos homines p̄ angelos ex-
ercerent. In suis autē actionibus fm̄ diuinā
sententiā regulantur. Cōtingit quādoq̄
in diuersis regnis vel in diuersis hominib⁹
contraria merita vel demerita inueniunt. vt
vnus alteri subdatur aut presit. Quid autē
super hoc ordo diuine sapiētie exigit cogno-
scere nō possunt: nisi deo reuelāte. Unde ne-
cesse habent super his sapiētiā dei cōsultare.
Sic igitur inquantū de cōtrarijs meritis et
sibi repugnantibus cōsulant diuinā volun-
tatem. Resistere sibi inuicē dicuntur: nō quia
sint eorum cōtrarie voluntates: cum in hoc
omnes cōcordent q̄ dei sententiā impleatur.
Sed quia ea de quibus cōsulant sunt repu-
gnantia. Cum ergo archangelus custos re-
gni persarum. pcuraret q̄tum in eo erat salu-
tem illorū qui erant in dicto regno: videretq̄
q̄ ex cōuersione iudeorum multi de persia
cōuertebantur: erat cōtentus q̄ populus ille
in captiuitate p̄seneraret. Alter vero qui p̄si-
debat populo iudeorū illius populi libera-
tionem pcurabat: p̄cesq̄ Danielis presen-
tabat deo: omnes tamē dei voluntatē imple-
ri volebant. **T**ercium dubium erat vtruz
angeli doleant de malis eorū quos custodi-
unt. Ad quod respondet Tho. vbi. s. q̄ an-
geli non dolent nec de peccatis nec de penis
hominū: quoniā cum sint p̄fecte beati dolor
in eis esse nō potest. Insup̄ vt inquit Aug⁹.
Dolor est de his que cōtrariantur voluntati.
Nihil autem accidit in mundo quod sit cō-
trarium voluntati angelorū et aliorum bea-
torum: quia voluntas eorum totaliter inhe-
ret ordini diuine iusticie. Nihil autem sit in
mundo nisi qd̄ per diuinā iusticiā sit aut
permittitur. Et ideo simpliciter loquēdo ni-
hil sit in mundo cōtra voluntatē beatorum
vt enim ph̄s dicit in. iij. ethicorū. Illud di-
citur simpliciter voluntariū qd̄ aliquis vult
in particulari fm̄ q̄ agitur: cōsideratis. s. ois-
bus que circumstant: q̄uis in vn̄uersali cō-
sideratū nō esset voluntariū. Sicut nauta nō
vult absolute p̄iectionē mercū in mari: et vn̄-
uersaliter cōsiderando: sed imminente picur-
lo salutis hoc vult vnde magis est hoc volū-
tariū q̄ inuoluntariū. Sic ergo angeli pec-
cata et penas hominū vn̄uersaliter et abso-
lute loquendo nō volunt: volunt tñ q̄ circa
hoc ordo diuine iusticie seruet fm̄ quē quis

dam penis subdunt et peccare p̄mittuntur.
Sed orit̄ hic difficultas ex verbis Esaie ca.
xxiiij. dicētis. Angeli pacis amare flebant.
Quā soluit tho. asserēs q̄ verba illa triplici-
ter possunt intelligi. Vno mō fm̄ sensum lit-
teralē: et sic angeli dicunt nuncij Ezechie q̄
fleuerunt p̄pter verba blasphemia rabsacis.
Alio mō fm̄ sensum allegoricū et sic angeli
pacis sunt apli et alij p̄dicatores q̄ flent p̄ pec-
catis hoīm. Tercio fm̄ sensum anagogicū: et
sic intelligūt angeli beati. Locutio tñ est me-
thaphorica p̄ quā designat q̄ ipi volunt in
vn̄uersali hoīm salutē vt iā est predictū. Et
his oib⁹ deprehendere possum⁹ quāta sit
erga hoīes dei pietas q̄ta largitas: quātaue-
rit clemētia: dū dignat̄ p̄ angelos suos nos
ad patriā sup̄nā deducere: in q̄libet etate nō
cessant angeli cōmodis nr̄is adesse: nunc in-
festissimos hostes ne nobis noceant debellā-
do: nunc ad bene viuendū nos alliciēdo: nūc
a malis retrahendo: nūc ab innumeris picu-
lis liberādo. Et tñ nos illis p̄ntib⁹ nō crube-
scimus demonū praua p̄silia: turpesq̄ sugge-
stiones implere: gerere vitā pecudū: ac oī co-
natu ad religiones tartareas p̄perare. Vt aīa
sordida. Vt aīa tot ignominiosissimis vicij⁹
fedata. Speri oculos mētis et vide angelū sp̄-
tibi assistentes in quouis angulo: in quous di-
uersorio: in quouis exercitio. Exhibe illi re-
uerentiā et a flagicijs desine cōsuetis: vsq̄ ad
mortē cōmorabit̄ tecū: vt sic appareat si te no-
lueris corrigere q̄ pater oīm deus iusto ius-
dicio impenitētes et obstinatos a p̄sortio san-
ctorū et visione sua priuatos p̄icit in ignē
eternū. Curem⁹ igit̄ demonū abhorere cō-
silia atq̄ angelorū societate oī affectu deside-
rare vt sic digni efficiamur gr̄a xp̄i: qua me-
diante angelorū choris mereamur adiūgi in
illo felici regno in quo deus viuit p̄ infinita
secula seculorū. Amen.

Sermo trigessimus primus de sancto Jo-
hanne baptista p̄cursori dñi nr̄i iesu xp̄i.

Inter natos mu-
lierū nō surrexit maior Johanne
baptista. Verba sunt redempto-
ris nr̄i originaliter Matthei. xi. ca. Sicut
sol in lumine reliquos planetas excedit: ita
laus Johānis baptiste post xp̄m et virginē
m̄rem aliorū sanctorū p̄conia sup̄at. Nā neq̄
in veteri neq̄ in nouo testamēto inueni⁹ est ali-
quis quacuq̄ sanctitater p̄minentia fulgēs
q̄ Johāni baptiste valeat p̄parari. Quēcūq̄
de ip̄o dicunt̄ admirādis progeratiis ornant̄
atq̄ ex omni parte in ip̄o videt̄ supereminere